

4  
EPITHALAMION,

Nuptiis solennioribus

VIRI

*Admodum Reverendi nec non Doctissimi*

D O M I N I

**HENRICI  
PROCHNAV.**

*Pastoris apud Gurskenses fidelissimi*

S P O N S I,

cum

*Virtutum singularium splendore excultissima*

Virgine

S P O N S A,

**RENATA  
SOPHIA,**

Beate Defuncti

Pl. Tit.

D O M I N I

**IOHANNIS  
HELDT,**

*Pastoris quondam dicto in loco meritisimi*

relictæ FILIA,

Die decima sexta Cal. Martii Anno c16ccXIX.

auspiciis felicibus celebrandis, ea, qua par est,  
animi observantia consecratum

ab

HENRICO REICHELIO.

subiectissimo cliente.

---

T H O R U N I I

Impressit Iohann Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.



Vge! dies multæ multis optatus ab horis  
Lætitiæ demum connubialis adest.  
Gratus adest: quare votis gratisq; piisque  
Hunc quoque proposui condecorare meis.  
Non veluti vero fecit gens ethnica quondam,  
Gens, cûi non notum Nobile NVMEN erat.  
Stulta vocare suos dum nempe Deosque Deasq;  
Sveverat ad festi gaudia vana sui.

Ac plane abjectæ cæca caligine pressa  
Mentis divinam vim tribuebat eis.  
Dum tamen his, quamvis oculis ac auribus essent  
Ornati, auditus nec quoque visus erat.  
Cautior edoctus (minime didicisse pigebit,)  
Hac alios votis luce vocabo Deos.  
Hinc Hymen esto procul, procul, insidiose Cupido,  
Matreque cum Cypria mox procul esto tua.  
Adveniat Summum cœlesti NVMEN ab axe,  
Et secum Comites ad pia festa vehat.  
Quêis sine non ulli bene conjunguntur amantes,  
Nullus ad extremum queis sine perstat amor.  
*Sancte Pudor*, teneras obducte rubedine malas,  
Exorate diu, grate potensque veni.  
Esto sacri templi custos ac Ianitor ædis  
Hujus, conjugio quæ modo sacra sacro,  
Cœlo, (lux præsenste postulat,) ô *Amor*, alto  
*Caste*, piis precibus sollicitate veni.  
Castaque (ne renuas,) hodie ter gaudia tecum,  
Nec nisi castorum pectora casta reple.  
*Alma Fides*, etiã, quæ sola es causa salutis  
Æternæ nostræ, non remorata veni.  
Te sine namque nihil, nihil ah! sumus, atque SUPREMO  
Te sine nemo potest rite placere DEO.  
*Ipsa* dein' *Pietas*, Virtutum vera Corona  
Atque beata Basis, *religiosa* veni.  
Te præsenste etenim *pius* hic celebrabitur *Astus*,  
Qui facer est SVMMI NVMINIS ordo, *piè*.  
Hic sacra legitimi panguntur fœdera lecti,  
Hinc facit ad castos flammula vestra toros.  
*Nobile* conjugio quod enim *Par* jungitur apto,  
En, sacri cunctis ordinis esse patet,  
PRESBYTER est SPONSVS verace salutifer ore,  
(Nedubites, Charites hoc residere pias.)  
Svada cui dives, doctæ dum gratia lingvæ  
Sicut in exhausto copia fonte fluit.  
Addo: Cui vere sunt Biblia nocte dieque  
Et Nectar vivax, Ambrosiusque cibus,  
Quo sibi commissum, veluti decet usque fidelem  
Pastorem, nutrit, pascit alitque gregem.  
SPONSA sed insignis, sacrae probitatis Imago,  
Atque pii Generis lausque decusque sui.  
Cujus inest membris mirus decor omnibus: (ipse  
Forsan Amor ceston tradidit huicce suum.)  
*Cujus* & in facie collecta modestia ridet,  
Emicat & rara cum pietate pudor.  
Pulchra comas, ornata genas & amabilis ore,  
Nil plane in toto corpore turpe gerit.  
Cur tamen hæc refero? viridantibus afferro pratis  
Gramen, & in rapidas congero flumen aquas.  
Hinc

Hinc potius præstat socialibus carmina tædis  
 Cumque piis precibus vota secunda dare:  
 SPONSE, mihi pridem multo sat note favore,  
 Note sat ac animo, VIR REVERENDE, tuo,  
 Hic est ille dies, quo vix felicior alter,  
 Hoc expectatum tempus amore flagrans,  
 Quo pia, quo dulcis, quo Nobilis omine fausto  
 Jam TIBI divina contigit Vxor ope.  
 Cujus in amplexu annos post vivere molli  
 Per multos liceat continuosque precor.  
 SPONSA, cui vero felici fidere SPONSVS  
 Offertur felix, candidus atque pius.  
 Læta tuum vultum diffundens gaudia fume,  
 Grataque dic grates pectore, voce, DEO.  
 Dum TIBI præ multis aliis nunc forte Maritus  
 Cœlesti oblatu: (cura notanda poli.)  
 Quod volet Ille, velis, placeat mens una duobus,  
 Istius ad rectum velle reponere tuum.  
 Candida sic VOBIS aderit Pax, sanctus & Amor,  
 Concors Conjugium, junctaque corde Fides.  
 Vos vero Clari Convivæ, quotquot adestis,  
 Promite lætitiæ dulcia signa date.  
 Pervigili donec nocturna silentia cantu  
 Purpureæ rumpet nuncia lucis avis.  
 Lux hæc festa pigras non vult admittere curas,  
 Quin potius spernit, temnit easque fugit.  
 Cuique licet positis rebus præsentibus uti,  
 Sive Ceres cordi, sive Lyæus erit.  
 In promptu quoniam nunc sunt, nullique negantur;  
 (Vtilis in mensa non solet esse pudor.)  
 Afra licet (fateor,) modo non appareat ales:  
 Attamen Europæ præsto videtis aves.  
 Italiæ exhilarent populos sua vina Falerna,  
 Aut istis melior potio si qua datur.  
 Non minus Hungariæ generosa fatisque savora  
 Vina animos vestros exhilarare queunt.  
 Sique placet, lepidis post indulgete choreis,  
 Nulla puellarum res magis apta gregi.  
 Lætitia vero vestra superaddite vota,  
 Quæ SPONSI & SPONSÆ corda movere queant.  
 Dicite: legitimo quos NVMINA fœdere jungunt,  
 Pectore concordi tempora multa gerant.  
 Proleque multiplici Deus hos cumuletque beetque,  
 Legitimum sterilem nec finat esse torum.  
 Hisce Vale dico TIBI, SPONSE ac SPONSA, quietum,  
 (Iussit me pietas,) accipitote, rogo.  
 Cœptaque perpaucis, sed faustis finio verbis,  
 Dum nimium quodvis vertitur in vitium.  
 Particulæ quotquot niveæ modo tempore brumæ  
 NVMINE de cœlo sic moderante cadunt;  
 Tot VOBIS animæ tot denique corporis Ipse  
 Largiter Omnipotens det bona cara DEVS.  
 Vos pia fata regant, vos nescia vita doloris  
 Longaque felici tempora sorte beent.  
 SPONSE, precor, Pylios peragendos molliter annos,  
 SPONSA, Sybillinos (sint rata vota!) feras.  
 Interea Vester cultorque cliensque vocabor,  
 Nominis & Vestri verus alumnus ero.

POCVLVM NVPTIALE

Nil faciunt frustra DEVS & Natura benigna,  
 Fœdus Pii dum nempe in unum confluunt.

Id nostrum cuivis hoc patet, ecce, die,

Thalamo quo nempe Supremus

PAR sat Nobile copulat,

Castas faces dū concitat,

Pectora Pectoribus

Nunc & adunit.

*Non sinit verbo semel auspicatum*

*Ordinem Summe-bonus usq; frangi,*

*Plurimo contra licet ipse dæmon*

*Impete flagret.*

Candide Sponse, igitur

Cum Candida Sponsa Tua

Nil unquam timeas mali.

Etenim Sors vestra POTENTI

Nota per hanc vitā scil.usq; manet.

Votum sed addere poculo restat: DEVS

Cæsar Is AVgVstI VobIs Det teMpora paCIIs.

XX

AKPOΣTIXA.

HOras	Præsentēs	REcreantes	Hem! quoque	Cantu	S
Effusos	Rifus	Nunc	Extollatis	Ovat	V
Nectite	Odorifera ac	Argentea	Lilia	Pulchr	A
Riteque	Convivæ	Tempestivo	Date	Vult	V
Iunctis	Humane:	Abjiciatis	Tædia	Læt	I
Cordaque	Nullorum	SOcordia	Inutilis	ANga	T
Vovete	Ambobus	PHœnicia	Non-nisi	TUc	E
Secula	Vixisse &	IApeti	Attingere	Robu	R

Ἐτεομνησθημεράσυχον.

En! neon VptIs hæC febrVI bls septIma blnIs.  
 Prospera stat præsens, neC nIsI grata Dies.

☉)(O)(☉